



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Passio sancti Felicis Episcopi Tubyzacensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

INCIPIT PASSIO SANCTI

Felicis Episcopi Tubyzacensis, qui propter legem Domini decollatus est XVIII. Kalendas Februarij.

IN diebus illis, Diocletiano octies & Maximia-
no septies Consulibus Augustis, exivit edictum
eorundem Cæsarum vel Imperatorum super omnem
faciem terræ, & propositum est per colonias & civi-
tates principibus & magistratibus, suo cuique loco,
ut libros deificos extorquerent de manibus Episco-
porum & Presbyterorum. Tunc programma posi-
tum est in civitate Tubyzace die Nonarum Ianua-
riarum. Tunc Magnilianus Curator ipsius civitatis
jussit ad se perducere Presbyteros, quia Felix Episco-
pus Carthaginem erat profectus, Ianuarius Presby-
terum, Fortunatium & Septiminum lectores jussit
ad se perducere. Quibus Magnilianus Curator dixit:
Episcopum habetis? Ianuarius Presbyter respondit:
Habemus. Magnilianus Curator dixit: Vbi est?
Ianuarius Presbyter respondit: Nescio. Magnilianus
dixit: Libros deificos habetis? Ianuarius respondit:
Habemus. Magnilianus dixit: Date illos igni adu-
ni. Ianuarius Presbyter, Fortunatius & Septimi-
nus lectores dixerunt: Episcopus noster apud se il-
los habet. Magnilianus Curator dixit: Eritis ergo
sub officio donec Anulino Proconsuli rationem red-
datis. Postera autem die Felix Episcopus à Cartha-
gine venit Tubyza. Cùmque ejus adventum Ma-
gnilianus comperisset, statim eum sibi per officium
presentari constituit. Qui cùm dicto citiùs adve-
nisset, Magnilianus Curator dixit ad eum: Tu es
Felix Episcopus hujus civitatis? Felix Episcopus

Anno Christi
304.

Pfal. 113.

dixit : Ego. Magnilianus Curator dixit : Da libros vel membranas qualescunque penes te habes. Felix Episcopus dixit : Habeo ; sed non trado legem Domini Dei mei , quem ego colo. Magnilianus dixit : Ergo major est Deus tuus à diis nostris ? Felix Episcopus dixit : Grandis & metuendus est Deus noster , qui fecit cœlum & terram , mare , & omnia quæ in eis sunt. Nam dij vestri lapides sunt , manu hominum facti , de quibus scriptum est : *Oculos habent & non videbunt , aures habent & non audient , os habent & non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis.* Magnilianus Curator dixit : Primum est quod Imperatores jusserunt , quia nihil est quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes , ut possint , sicut constitutum est , igni aduri. Felix Episcopus dixit : Melius est ut corpus meum tradam igni quàm scripturæ dominicæ per me videantur aduri : quia bonum est Deo obedire perpetuo Regi & immortalis quàm Imperatori hujus seculi iniqua jubenti. Magnilianus dixit : Iam dixi tibi quia primum est quod Imperatores jusserunt quàm ea quæ loqueris. Felix Episcopus dixit : Primum est præceptum Dei custodire quàm hominibus obedire. Magnilianus Curator dixit : Interim inter hoc triduum recogita tecum ; quia si in hac propria civitate ea quæ præcepta sunt implere neglexeris , ad Proconsulem ibis , & ea quæ nunc loqueris , apud ejus acta prosequeris. Post diem autem tertium Magnilianus Curator jussit sibi sanctum Felicem Episcopum præsentari. Ad quem cùm Felix Episcopus fuisset adductus , idem Magnilianus dixit : Deliberasti tecum quidnam melioris consilij videaris assequi ? Felix dixit : Sermo meus unus est. In quo cœpit , in hoc etiam Deo præfule finiet. Quæ enim primò loquutus sum , hæc & nunc eadem loquor , & ante Proconsulem aliud penitus non sum

dicturus. Magnilianus Curator dixit: Ibis ergo jam nunc ad Proconsulem, & ibi redditurus es in examine rationem. Tunc viros suos his allocutus est verbis: Quoniam Felix Episcopus juxta Imperatorum decreta ea quæ nobis mandare dignati sunt facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. Felix Episcopus dixit: Deo gratias. Tunc designatus est illi ductor Vincentius nomine Decurio civitatis Tubyzacensis. Profectus est autem Felix Episcopus Carthaginem. Vbi cum venisset, oblatuſ est Legato Proconsulis. Cui idem Legatus dixit: Quare scripturas non tradis supervacuas? Felix Episcopus dixit: Habeo quidem, sed non do. Scripturæ quæ à nobis habentur, supervacua non sunt, nec tradi à nobis ullo modo possunt. Tunc jussit eum Legatus in ima carceris mitti. Vbi cum Felix Episcopus fuisset ingressus, Dominum Deum suum deprecatus est dicens: Domine Deus, omnium creator & conditor, Domine Iesu Christe, ne me derelinquas, quia propter te & propter testamentum tuum hæc patior. Miserere mei, & recipe spiritum meum, & derelinque in hoc seculo corpus mortale, ut à te, Domine, sicut promittere dignatus es, tecum merear suscipere immortale. In te enim semper Domine vivens, nunquam adversus me habebit mors potestatem. Post dies autem sedecim, hora noctis quarta, de carcere productus Felix Episcopus Anulini Proconsulis ilico est præsentatus aspectibus. Cui Anulinus Proconsul dixit: Quod tibi nomen est? Felix Episcopus dixit: Christianus sum. Anulinus Proconsul dixit: Non te de vocabulo quæsiſi professionis, sed percunctatus sum quo nomine nuncuperis. Felix Episcopus dixit: Sicut tibi jam dixi, hoc nunc & iterum dico, quia Christianus sum & Episcopus. Tunc iratus Anulinus Proconsul quòd ei nomen suum dicere noluiſſet,

ait illi : Habes scripturas supervacuas ? Felix Episcopus dixit : Habeo scripturas ; sed non sunt , ut asferis , supervacuæ : quas cognosce à me nequaquam esse tradendas. Tunc Anulinus Proconsul transmisit eum Romæ ad Præfectum prætorij. Cùmque Felix Episcopus ibidem advenisset , & eidem Præfecto oblatus fuisset , jussit eum in carcere recipi & majoribus vinculis alligari. Post dies autem duodecim jussit eum Præfectus prætorij post Imperatores navigare. Tunc Felix Episcopus navem conscendit catenarum duris nexibus colligatus , & fuit in subsanio navis quatuor diebus & quatuor noctibus jacens sub pedibus equorum , panem non comedens , nequaquam quippiam bibens. Iejunus autem venit Nolam. Tunc Cognitor ejusdem civitatis venientem Felicem Episcopum sibi præsentari constituit vinculis gravioribus innodatum. Cui idem Cognitor sic ait : Felix , quomodo huc venisti ? Felix Episcopus dixit : Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit : Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem scripturas deificas tradidisses , ad me huc usque minimè advenisses. Felix Episcopus dixit : Habeo quidem scripturas divinas ; sed , sicut diversis inquirentibus me respondisse non nescis , hoc etiam tibi præsens modò certissimè manifesto , quia eas nullo modo trado. Cognitor dixit : Si scripturas deificas tradere nolueris , capite plecteris. Felix Episcopus dixit : Plus paratus sum plecti capite quàm libros dominicos sacrilegio tradere. Tunc memoratus Cognitor jussit ut sacra Imperatorum recitarentur. Cùmque à Vincenzio scriba quæ constituta fuerant legerentur , Cognitor dixit : Quoniam iste homo tantum in eadem confessione duravit , secundùm præceptum hunc eundem Felicem Episcopum gladio animadverti constituo. Felix Episcopus elevans oculos ad cælum dixit : Deus , gratias tibi ago , qui per quinquaginta & sex annos

annos in isto seculo virginitatem meam in me custodire dignatus es. Domine Deus cœli & terræ, Domini nostri Iesu Christi pater, propter te & propter legem tuam & pro timore tuo hoc patior, & cervicem meam flecto ad victimam. Accipe spiritum meum de hoc mortali seculo. Solus enim es Deus vivens atque invictus & permanens gloriosus in sempiterna secula seculorum. Amen. Completa hac oratione, ductus à militibus, ibidem, id est, in Nola, decollatus est die octavo decimo Kalendas Februarij; ibique in Nola corpus ejus positum est, & reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos & matris Ecclesiæ filios perlata sunt & posita in via quæ dicitur Scillitanorum. In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, & languores universi curantur in nomine Domini nostri Iesu Christi, cui est cum Deo pater honor & laus & gloria in Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

*GESTA PURGATIONIS
Felicis Episcopi Aptungitani, qui ordinavit
Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, habita
Carthagini apud Ælianum Proconsulem Africae
Volusiano & Anniano Consf.*

Anno Christi
314.

Defunt plurima.

in municipio Autumnitanorum Gallienus Dunm-
vir dixit: Quoniam præsens es, Cæciliane, audi
litteras Domini mei Ælij Paulini viri spectabilis
agentis vicariam præfecturam, quid jubere sit dig-
natus secundum epistolam ad nos datam, quæ
declarare te compellit & scribam quem habuisti tunc

F